

*Q. D. B. V.*  
 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
 DE  
**ROBORANTI-**  
**BUS,**

*Quam*  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPAE AC DOMINO*  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
 PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGI-  
 CO, DVCATVS MAGDEB. GVBERNATORE, & reliqua,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

*Gratioso Facultatis Medica consensu,*

PRO - PRÆSIDE

**Dn. HENRICO HENRICI**

Med. Doct. & Prof. Publ.

**Dn. PATRONO, DOCTORE AC PROMOTORE SUO**  
*omni obseruantia & honoris cultu etatem colendo*

PRO GRADU DOCTORALI

Summisque in arte medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis  
 More Majorum solenni obtainendis,

d. 10. Octobr. An. MDCCXI. horis ante & pomeridianis

*IN AUDITORIO MAJORI*

publicæ Eruditorum disquisitioni exponet

**JOH. FRIDERICUS HENKEL,**

Pract. Dresd.

---

Halle, TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP.





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O  
De  
**ROBORANTIBVS.**

PRÆFATIO.



Nter tot medicamentorum titulos non aliis arridet mortalibus magis, quam operosus ille Roborantium, qui viribus, vel natura deficientibus, l. proterve diminutis, l. per ætatem senescentibus, superaddendum robur atque augmentum pollicetur. Causam istius commendat maxime tum vita longius ducendæ insatiables cupiditas, tum speciosa illorum nomina, quæ vel osoribus medicinæ lenocinari solent, tum lanuginosum hujus seculi palatum, quod non amat nisi titillantia, digniora vero magisque necessaria propter sensus molestiam averfatur. Est quidem vere roborantibus non detrahenda sua laus, quin non ultimo rerum medicarum censu poni debent: Verum ad ea configere, cum rectius fugerentur, neglectis non negligendis, palliare morbum, suspende-

A 2

re,

re, aut per motuum intempestivas & immodicas provocationes naturæ morbique cursum pervertere, & quod maximum est, specie roborandi ægri, non nisi roborare suum marsupium; hanc imposturam inter honestos viros non ferendam nec reticendam utique esse puto. Non minorem censuram merentur & illi, qui capti phænomenis chymicis, sexcenta sua nomine Alterantium ubique exponunt, vere μεταβαλνοντες εις αλλο γένος, confundentesque habitum corporum, ut pure mixtorum, cum habitu longe diverso corporum, ut simul viventium, physicam inquam cum medica physiologia & pathologia. Hæc consideranti mihi in mentem veniunt tres illæ diversæ sententiæ circa medicinam sanctiorem, quæ mentis est: Sunt, iisque quamplurimi, qui sanitatem animæ nescio ex qua absurde intellecta imputatione Justitiæ Servatoris Christi somniantes, ulcera, fætorem, & quicquid abominabile in mente reperitur, sovent & præ se ferunt. Sunt contra alii religionè adeo rigidi, quibus non satis videtur, iniquitatis putrida membra absindere; sed & ipsam naturam & temperamentum, duñmodo possent, mutare, everttere & quasi alterare intendunt: Reliqui vero repurgando renovandoq; interiorem hominem, idq; per Spiritum Christi, omne negotiūm, quantum in hoc seculo fieri potest, feliciter absolvunt. Non absimilis videtur subesse ratio in consiliis medicorum circa plerasque curationes. Jam multa pretiosa in pantices, utut impurissimos, profundunt, quæ sive vera sive ficta sint roborantia, aut laterem lavant, aut morbum nutrunt, atque ita spiritum, sub squalore & sordibus diu colluctatum, temere atque negligenter suffocari patiuntur. Alii subtiliores ex schola chymica rationali nati medici, di-

gno-

gnoscunt quidem, caussam morbi, aut decantati illius defectus spirituum, esse plerunque in pravitate aut abundantia alicujus materiae positam: sed falluntur utplurimum in therapia, dum intentione humorum corrigerandorum, alterandorum per particulas jam acidas jam acalinas, jam rotundas jam cuspidatas, (& nescio ducti quibus mechanicorum rationibus,) ægrum mole sua ingemiscentem tamdiu detinent, donec vel mors interveniat vel empiricus, qui confisus experientia rationali, unica sæpe evacuatione feliciter peracta, subtilitates ejusmodi eludit. Pauci dantur, qvi videant, quod usu & effectu probatum est, qvi bene diximus inter id quod fit, & qvod fieri possit, qvi meminerint, medicum non esse naturæ dictatorem, sed ministrum: verbo: in morborum genere fere omni, nihil magis opus esse, quam, in eliminandis recrementis & superfluis, naturæ famulari, quibus ipsa se proprio nisu non satis citto, tuto, & jucunde expedire valet. Longum esset ac difficile, hæc omnia patiis paginis prosequi: Æquo lectori jam sufficiat, legisse de Roborantibus quid verum utile ac perpetuum affirmari paret.

## CAP. I.

DE

## DEBILITATE, AC DEBILITANTIBUS.

§. I.

**Q**uid sit debilitas, omnibus patet, nempe *defectus virium*, seu potentiae & energie motricis, in corpus exercendæ. Ast dum iam nos adfirmamus, debilitatem dicendum esse defectum virium *in corpore*, in pri-

CAP. I. DE DEBILITATE;

mo statim limine ad dubium aliquod offendimus, nempe ad istam quæstionem, an debilitas *corporis* pathema sit, an *animæ?* nata videtur hæc quæstio ex controversia de subiecto potentiae movendi, quam alii corporis affectionem esse dicunt, concreatam & con- genitam, alii animæ tribunt, alii alia fingunt; longius foret utriusque sententiæ rationes controversas & pugnantes recensere, & quid veri, quidque falsi singulis subsit, scrupulosius perquirere, frustaneum quoque vel ideo, quod alij jam cum debita *anxiæ* hanc litem composuerint, cum quibus animæ virtutem motricem, corpori vero aptitudinem instrumentalem tribuimus. Anima movet corpus in genere, cum aliqua tamen diversitate gradus, ordinis atque temporis, ad certum finem proportionatis, nisi impediatur vel perturbetur, sed corpus aptitudine sua recipit motus, & specialiter in certos modos determinat per structuram suam, pro certis motibus edendis ita fabrefactam; Cum igitur potentia moyendi, & motus quasi primus, principaliter sit in anima, & ab hac in corpus transeat, hoc vero ad motus secundos saltim instrumentaliter concurrat, ideo viderur debilitas animæ non corporis vitium & pathema esse, ac dici debere. Verum cum *wires* non in *potentia*, sed in *actu* consistant, actus autem fiat in & per corpus, hoc etiam proprie robustum i.e. viribus, in actu exercito, instructum sit, & dicatur; hinc efficitur debilitatem quoq; non animæ moventis, sed corporis, pathema esse; accedit, quod ipsum corpus aptitudine sua receptiva ac determinativa ad certos motus ita concurrat, ut agens ultra istam in gradu & modo ordinario nihil promoteat, ut exemplo debilitatis respectivæ phlegmatico-

AC DÉBILITANTIBVS.

ticorum patet ; pari ratione , quod sāpe surrepat de-  
bilitas corporis citra veram jacturam energiæ motricis  
in anima, sed per solas causas morales, confusionis, tre-  
pidationis, desperationis, & reliqua. Denique distin-  
guenda est causa ab effectu.

§. 2. Nihil autem contra nos agunt , qui propte-  
rea, quod debilitatem corporis affectionem dicimus, vi  
contrariorum, inferre volunt, quod corpori quoque vir-  
tus motoria competit ; nihil agunt , qui hanc in gra-  
tiam, quantitatem molis majoris robustiorem, testimo-  
nii loco afferunt, dicentes, elephantem, propter molem  
corporis, sciuero esse fortiorum, & e contrario , quod,  
languente & contabescente corpore, languere & mar-  
cescere videatur ipse animus, & virtus motiva, unde senes  
viro juvene, pueros quadrato homine, atrophia laboran-  
tem succiploeno esse debiliores ; Sed haec nos parum  
morantur. Concedimus, sub magnitudine molis omni-  
no fortiores motus & resistentias respectivas fieri, ita ut  
elephas sciuero sit fortior tum ob majus robur actionum,  
tum ob majorem firmitudinem resistendi, ut à minori  
ocurrente & contranitente objecto loco moveri, vin-  
ci & subigi non possit. Verum, vis & robur cuiusvis  
animantis non ex comparata , ad alienam, sed ex absolu-  
ta, sua potentia & energia , dijudicandum est; moti  
funt qui per jocum serium pulicem bove robustiorem  
dicunt, quod ille præ hoc, juxta proportionem utrius-  
que corporis, vehementiores motus edat ; ast non lu-  
bet joculari testimonio rem dirimere , cum serio to-  
tam caussam judicando certissimum sit, quod fortitudo  
roboris non A magnitudine ac mole corporis, sed PRO-  
PTER hanc major sit in majoribus, atque valde videatur

vera-

## CAP. I. DE DEBILITATE

verosimile, quod Summus Creator, in producendis viventibus, primum cogitaverit de materia, tum de spiritu, vel motore, uti patet ex historia Moysis de primo homine; & licet per spiraculum illud vitarum Mosaicum malis intelligi particulam quandam auræ divinæ, quodq; principium vitale, brutis commune simul cum corpore extiterit; certum tamen est, Deum Creatorem unicuique corpori animato præfecisse motorem ad æquatum & proportionatum corpori, vel actionibus, per corpus efficiendis. Sunt enim aliqua animantia sub minore mole corporis robustissima, quod de leone respectu bovis maximi certum est; adeo, ut principium movens non semper ad molem & pondus quasi corporis, sed & ad usus & effectuum proportionem cum aliqua diversitatis latitudine distributum fuisse appareat.

§. 3. Quod ad ægros, pueros, senesque, sanis (corpore,) virisque in flore ætatis constitutis debiliores attinet, concedo hæc omnia salva thesi. Diximus enim jam supra, quod ad motus exercendos necessaria sit corporis aptitudo instrumentalis, qua vel per ætatem nondum concessa, vel denegata per spontaneum naturæ defectum vel sub morbis detracta, mirum non erit, si tali in corpore debiliores motus peragantur. Sæpiusime in morbis non amissio virium, sed sola omissio earundem debilitatis in corpore subito quandoque ingruentis causa est, trepidante natura, cunctante ac tergiversante, per confusionem, diffidentiam & desperationem; quinimo si vitalium aliquæ actiones intenduntur, reliquas, tum has, tum anomalas negligi consultum, & ex re ægrotantis est. De puerorum ineptitudine corporis instrumentalis ad fortiores, & viro quadrato pares motus sub-

eun-

eundos & exequendos postea dicemus, vbi de respectiva ætatum ac temperamentorum debilitate sermo erit. Senum spontaneus naturæ defectus ac debilitas naturalis, ingravescente ætate, gliscendo prævalescens, unde dependeat, non parum exercuit ingenia doctorum. Frustra hujus rei causa quæritur in vitio corporis aut animæ per usum longiorem contracto; immortalem esse animam a posteriori, seu non interire, pie credimus; potentia movendi videtur esse de essentiæ animæ, ut adeo nec hæc perdi videatur, activitatem energiam vitalis & animalis, ab alacritate & vigore sub senio gliscente, remittere ac deficere, ita, ut certis temporum periodis exactis inclinent ad mortem, eamque subeant animalia, illæso adhuc corpore, cuius marcor languidus vel rigiditas torpidior per senectutem accedens, uti nec mortis causa naturalis est, ita nec corpus in se viribus motricibus instructum esse debere probat. Quare, ut in viam, unde digressi sumus, redeamus, certum ratumque sit, debilitatem pathema corporis esse, animam illius causam principalem, corpus, instrumentalem.

§. 4. Debititatum *causæ* memorari merentur sequentes: Ut igitur ab ultima origine petamus ordinem, prima latet in punto *conceptionis*, genitore aut impubere, aut morbido, aut viribus exhausto, semineque ejus immaturo l. non vivido satis & in primis concorrente vi-  
to, quo l. uterus l. tota œconomia corporis materni la-  
borat. Effectum ex *stiderum influxu* in temperamenta  
quod attinet, fides maneat penes astrologos. Concedo,  
astra, & planetarum diversos positus in atmosphærā  
aeris nostram influxum habere, eumque varie alterare  
posse; fac etiam aerem afficere corpora, tenella quo-

que recens natorum; yix tamen natura eorum ita alterabitur vel instruetur, ut certam ac perpetuam ab astris indolem, vel energiam, liceat arcessere. Nos, ne transcendendo sphæram humani sensus confundamur, acquiescimus in causa proximiori, qua novimus, vim vegetativam à parentibus communicari determinarique. Cum vero ad producendum tertium idque vivum utriusque semen motu & calore intime commisceri debet, profecto nil nisi infirmi ac imperfecti expectatur, cum aut alterutrius aut utriusque facultas generandi defecerit.

§. 5. Altera culpa redundat ad malam *nutritionem* & *formationem* fœtus in utero, quæ cauſa præexistente primum enumerata, fœtui tanto magis non potest non esse detrimento. Quo pertinent maxime matris interperatus brutusque victus, nimis parcus nec sufficiens, motus voluntarius violentior, terror, metus atque tristitia; verbo: usus sex rerum non naturalium l. nimius l. deficiens vel inordinatus l. sine exceptione exitialis, nisi subinde picæ ac malaciæ, gravidarum vitia, fœtui non semper noxia excipias. Quantum hæc ut plurimum noceant, innumeri partus plus satis ostendunt, in primis matris animi turbulenti motus; quippe qui reliquis licet, quæ circumstant rem, recte se habentibus omnibus, naturam tenello huic operi insudantem, avocant, impediunt, imo prosternunt, aut, si ad negotium recedunt, naturæ fœtus ita incutiuntur, ut non nisi sensibiles ac proinde, sub sensibilitate morbis obnoxia, debiliores evadant.

§. 6. Huic annumeratur tertio, tum præmatura tum minus provida *partus* exclusio. Sit enim optimum semen, sit tempestas, qua faventior non altera, sit hor-tula-

tulanus exquisite diligens, sit messis propinqua in expectatione: modo ventus impetuose ingruat, arborem agitans, frondes conquaßans, fructum dejiciens, habebis, quod durabile non est, neque ad virtutem reliquorum accedit. Eodem modo se res habet cum foetu, praematu-ro partu excluso, sive sit ex gravidæ meticuloſo, & quo-viſ rerum inopinato occurſu, tremente animo, quem abortus & partus intempestivus communiter ſequitur; sive vix apparentibus nothis ad partum doloribus, ad facilitandum eundem fortiter pellentibus natura præpoſtere concitata foetum justo tempore citius protrudat; sive, alijs de cauſis contingat. Par ratio eft, si sub malo regimine a nutricibus administrato tenellus infans ita læditur, ut homine dignum robur nunquam affequatur, per totam vitam valetudinarius.

§. 7. Jam venimus ad illud, quod numero quar-tum, re ipſa vero primum ultimumque absolvit in pathologia latus, h.e. ad *animi motus*. Illi, inprimis ſic di-eti irascribiles, instar penetrantiffimi fulguris ſunt, quo percufsa natura tota horret ac contremiſcit, intentio ejus in actibus vitalibus redditur irrita, atque perversa, opera in iisdem jam per ætatem bene ſuccedentia per-turbantur, brevi: languet natura, infirmatur, deliqueſcit. Modum & nexus divini hujus phænomeni im-perscrutabilem investigare quo minus valemus, eo ma-gis, quam pestiferum œconomiae vitali ſit, proh dolor, novimus omnes. Animi motus violentia ſua vitæ mala reliqua longe ſuperant; hinc duos nonnunquam vide-mus ejusdem vitæ generis, roboris, ætatis, victus, habi-tationis, motus, quietis, plusquam bestiarum more in noctem commeffantes, quorum alterum paulo poſt gra-

vi ira perculsum aut tristi nuncio perterritum gravissimo morbo conflictari ; alterum quieti animi hominem, ne de digiti quidem dolore conquerentem audimus. Animi motus in effectu subseguente subtrahunt toties de viribus, quoties recurrunt, subtrahunt de annis, & licet quam mitissimi & rariores fiant , reddunt homines tanto magis caducos, fragiles, & mortales. Debiles dixeris, plerunque iracundos, penitusabundos, tristes, timidos dixeris. Senem quæris, hominem lætum tranquilum, svavem quæris ; paucissimos videoas, quos consuetudo per impetus affectuum impune dimittat.

§. 8. Quinto referri debet *consuetudo*, utpote in qua non magna vis est, sed profecto altera natura. Infans plumis atque tegumentis nimis curiose habitus mollescit & levissimæ auræ allapsu decumbit ; provectionibus delicatulis tota vita morbus est. Blandiebatur ante pulmonibus & poris gratus calor omni cura servatus, hinc illis liberior tonus in propellendo & attenuando sanguine ; hisce liberior apertio ad excretenda superflua & heterogenea ex eodem ; Quod si vero ejusmodi corpus exponitur tempestatib[us] cœli, tunc veluti fulmine tacti delicatius habitæ fibræ rigore afficiuntur, excretiones repente præcluduntur , unde motus febriles, catharri, asthmata, convulsiones, lipothymiae & hujus generis mala plura, quæ sæpe primo iœtu funesta, aut per totam iœrum vitam familiaria, esse solent. Eadem ratione se res habet in motu & quiete. In labore, quo jubemur moveri ad sudorem, certe non legis rigor, sed optimum supremi consilium, non virium documentum , sed augmentum & robur est : Quoniam actus ad vitam & nutritionem pertinentes eo promoventur.

ventur, & quod vietu , animi turbis, aeris intemperie & manu medici,sive in motu sive in humoribus lœditur, manifesto corrigitur. Contra vero in otio & mollitie, debilitas, morbus & mors consistit. Ut igitur mirari desinant mortales, quare hodientum asséquantur tam pauci maiorum ætatem, & cur litteratorum laudabile scilicet! otium plerumque fors miserrima pœnitenda que vitæ sit. Quo quis magis autem vel minus corporis exercitationibus asuevit, eomagis vel minus virium suarum persentiscet dispendium, aliud vitæ genus eleeturur. Qui vehendo, eundo, digladiando, laborando iuvenem suum strenue exercent, naturam optime roborant, ut nihil tam grave & arduum sit, quod non suscipiant peragantque. Ex quo vero inertiae, somno & voluptatibus pulvinar sternere incipiunt, viribus tam notabiliter decrescunt, quantum corpus capit indies incrementa. Nam cum antea motibus, vitam conservantibus , crebro motu voluntario veniretur auxilio, hoc postmodum neglecto, interim massa sanguinis augecente, naturæ efficacia à creatore data , imposteriorum impar & insufficiens œconomiaæ suæ deprehenditur, ad minimum effective, & per accidens, quando plerora proportionem vasorum & pororum excedens, maleque subacta , morbos varios peperit debilitantes. Contra qui labore occaluerunt nullatenus, molli ac deside vitæ genere ab incunabulis usi, vel minima membrorum agitatione luxantur, trement & invalescant. Consueti solidos labores ferre, et si fuerint invalidi aut senes, non consuetis, quamvis robustis & iuvenibus , facilius ferunt. Hippocr. aphor. 49. sect. 2. Quis ignorat vim, quanta consuetudinis sit in somno, statis temporibus re-

perito? Eo turbatus & athleticæ sanitatis Hercules malignam videtur accepisse calamitatem. Similiter somnum longiorē capiens à prandio, quo à puero rem agere con-fuevit, nōn resurgit nisi torpidus, infirmus & impiger. Quem latent mille incommoda eorum, quibus mitra plumosa à multa ætate nocte imponi consueta, per somnum forte decidit? Quis nescit, Westphalus & Saxoniæ superioris filius, quam male se habere quirirent, mutata invicem viëtus ratione? Insuper hanc alteram naturam expellas furca, tamen vsque recurret, qua nimurum per antiquiorem, longiorem & crebriorem vsum vel per minus talém confirmata est.

§. 9. Ad sextum titulum referimus *excernendorum retentionem*; quibus natura pressa non raro opprimitur. Atque hoc loco dicendum esset de hæmorrhajarum necessariarum solitarumque impeditis fluxibus, imprimis mensium & lochiorum suppressione, hæmorrhoidum defectu, de obstructione cerebri & narium, pectoris infarctu, pororum constipatione, alvi constrictione, vrinæ difficultate, sputatione imminuta, evacuationum sanguinis per artem neglectu, & reliquis, quatenus lipothymiarum lassitudinum, apoplexiarum paralysiūmque genetrices sunt. Quo minus autem proprie appellari merentur debilitates, eo familiariores sunt & pro talibus habentur, adeo ut inter decem morbos vix occurrat unicus, qui in retento excernendo non agnoscat originem.

§. 10. Septimo extenuari vires hominis per nimiam *abstinentiam in cibo & potu* fatis constat. Quamvis enim robur agentis primario non pendeat ab instrumento, vt supra nocuimus, hoc tamen ita com-para-

paratum sit, ut dignitati & intentioni istius respondeat. Quemadmodum igitur vanus iectus erit atque irritus, quem instrumento feceris nimis levi aut non exacuato satis : ita corpore exsangui, nec cui satis nutrimentum est, vel robustissima natura nec quicquam efficere vallet. Aut si cui, intuitu actuum vitalium, hominem cum aula regia comparari placeat, ubi regina natura in expurgando & fuggerendo, quæ ad conversandum palatum pertinent, maxime versatur: Profecto his denegatis, h. e. cibo, potu atque hinc enato sanguine ædificatio non perficitur, quin jam strueta tota compages vacillat, corruit, atque dominus abhinc abscedere cogitur.

§. II. Verum enim vero in hoc tantum non sæpe deficiunt, quantum excedunt mortales, neque adeo sibi ipsi met nocent invidi cynici, quam epicureorum prodiga cohors. *Quin* exprimi verbis non potest, quam emacerentur vires temeraria illa ingurgitatione ciborum, potatione, qua natura ita obruitur, ut neque hic neque illic, quod sui officii est, præstare queat, atque hercules ipse misere succumbat. Motu voluntario si minus moderato utamur, partes solidas atteri fluidas confundi nimium quis dubitat? Veneris exercitio abutentes, delicatissimam humorum partem temere profundentes, enervati, exsucci, magis inter mortuos quam vivos, referendi sunt. Sanguinis missione sive spontanea sive violenta nimia, (quippe quo minoris mundi archeus aquis veluti, mierocosmico expansus, provehens, justæ quantitatis ad sui subsistentiam habet opus) mittuntur vires, ipsaque anima. Porro quod actus animales concernit, nimia applicatione orga-

TYPAT

organorum sensoriorum, acies oculorum nonne habent? aurium tympana nonne flaccescunt? aut laeduntur? sensuum internorum quæcunque demum sint organa, nimio usu hebescunt & debilitantur summopere.

§. 12. Tandem hic incusari meretur *imprudentis medici atrox & cyclopica manus, quæ se teneræ naturæ non uno exemplo funestam exhibuit: Idque maxime ex falsissima opinione corpus ægri ita subesse eorum potestati, nec aliter, ut subiecta chymiae, ex quorum rationali anatomia, combinatione, effectus intentus facile & sine periculo obtineri potest; vel, qui non admodum rarus error est, ut subiecta mechanica, quæ se sine dispendio mixtionis, torqueri, diminui, augeri transformariq; patiuntur, cum tamen medicus objectum habeat cooperativum, sub cuius synergia sollicite observanda, unice ad effectum optatum actiones dirigere licet.* Ad hæc non obliviouscamur *morborum colluviem, qui veluti diluvio minorem mundum immergunt, immersum fatigant fatigatum suffocant penitus. Differunt hic viri dejectiones tempore invasionis earundem, quarum aliquæ contingentes sub morbi initium, signum causæ male nunquam non innuunt, uti in febribus malignis notum est, ubi natura horret ac refugit inchoare, quod absolvere desperat; aliquæ post morbi decursum, quæ non morbus ipse sunt, ut vulgus pertimescit, sed certe bonis auspiciis significant, l. paroxysmi stadium, l. rotam periodum emensam esse, v. g. in fine febrium debilitates ad tempus residuas exhibentium,*

CAPVT

CAP. II.

DE

ROBORANTIBUS REMEDIIS.

§. I.

Quod de oppositorum opposita ratione logicorum præcepta tradunt, illud de robortibus in relatione ad debilitantia recte quidem asseritur: Quemadmodum vero debilitari effective quidem materiæ, efficienter vero agentis est, ita & robortari modo illius, modo hujus genuinum prædicatum audit; sub ea tamen animadversione, ut remedia, (in primario & immediate naturam robortia atque in talia secundario atque per accidens divisa) varia medicamenta sub hoc titulo comprehendere liceat. Quo non tam ea pertinere observantur, quæ, sub quoconque veniant nomine, ad naturæ seu principii vitalis conservandum robur ac virtutem faciunt, sed & specialiter multa eorum, quæ directe & immediate corpori proficiunt, qualia sunt nutrientia, constringentia, balsamica, aromatica, imo & evacuantia: Verum in eo tantum cautio adhibenda venit, ne loquendi libertate abutentes, confundentesque caussas morborum prolabamur in errores, qui therapiæ admodum præjudicant. Quod si viæ primæ vel secundæ purgantur, boni succi excoquuntur & augmentum accipiunt, partes fibroſæ & glandulosæ constringuntur, ubi talia augeri, purgari & constringi debent, sive sit cor, sive hepar, sive caput, sive intestina, quæ roborda dicas, quin si vel maxime medicamenti causam proximam ignores, veræ & practicæ scientiæ tuæ turpitudini non est, utut offendas delicatulas aures physiæ.

Contra vero, si parte aliqua corporis organi

C

nici

nici vel à nimio vel ab heterogeneo gravata, atque ita actioni suscipienda impare, stante pede adducimur ad roborantium auratas pyxides, aquas magnanimitatis, pulveres vitae, aliaque sic dicta generosa remedia, idque ex ea opinione, quod apparenti infirmitati virium novarum additamento succurrere opus sit: Certe profecto indicationis non satis habemus argumentum, atque ita audemus periculum ægri tum gloriae nostræ. Quamvis autem ad evitandam confusionem & errores præstaret, scapham scapham dicere, à proprio significatu verborum non cedere, neque classem hujus generis medicamentorum amplius justo extendere: Frustra tamen speratur in limites suos recta reductio, quamdiu videmus hos trahi studio antiquitatis, alios libidine contradicendi, alios aviditate lucri, quæ vel sterco gratiam splendoremque conciliat.

§. 2. Neque nostrarum partium est, in dicendis sententiis agere judicem, loquamur cum multis, imo cum omnibus, agamus cum paucis. Servantes igitur materiam medicam, de *robortibus* nonnihil definituri, ea duplia esse non immerito statuimus. *Primum genus* eorum est, quæ principium vitale à priori afficiunt, idque vel *immediate* sine contactu corporali, ut unice sunt animi grata, gratorum objectorum irritamenta, ac ideæ e.g. gaudium & spes: vel *mediate*, seu mediantibus corpus tangentibus remediis illis, quæ naturam motibus turbatam impeditamque ad eosdem prosequendos revocant incitantque, seu ut quidam loquuntur, spirituascentiam sanguinis promovent, v.g. vinum, sacharata, aromatica aeris sic dicta nervina. *Alterum* comprehendit ea, quæ operantur magis à posteriori & ex consequenti, ubi scilicet, prius recte

recte constituto corpore , postea utique agendi præsens energia non potest non actu ipso prostare, quæd debet. Quorum classis prima analecticorum , sanguinem lymphamque exquisite nutritiam restituentium , e. g. cibi ev-pepti, emulsiones ; Altera *tonicorum* , partes flaccidiores intendentium, atque hinc motus secretorios excretorios que promoventium , quorsum pertinent leniter *constringentia*, gummata, balsamica fixiora, volatilia urinosa, imo martialia. Porro videntur quibusdam hæc curatius definiri posse, facta divisione juxta iplorum materiam, quæ in aliis *oleosa*, in aliis *spirituosa*, jam *salina* jam *acida* reputantur ; sive qua finem respiciunt, dum hæc naturam juvant in animalibus, illa in vitalibus, reliqua in mixtis actionibus ; sive considerantes duas maximas illas hominis essentias, agens alterum, alterum corpus, circa quas materialæ medicæ diversimode versantur : Verum cum nec magnis ingeniis facile contingat, de causis, nœtibus & effectis rerum physicis, adæquate, distincte & generatim dicere, imbecillitatis nostræ memores tantum frusta colligemus, systematicam scribendi methodum robustioribus relicturi.

§. 3. Dari aliquem inter animam & corpus verum atque mutuum nexum ; passionibus animi alterari, impediiri ac præcipitari actus vitales ; hisque mutatis humores denique in dyscrasiam redigi ; porro eandem dyscrasiam , ut & plethoram, gravatam ac languidam reddere naturam, imo illam tandem penitus suffocare, in optimis medicorum scriptis cum ratione æque ac exemplis conjuncta habemus testimonia. Deinde agens nostrum etiam a priori, immediate, a se & in se affici, turbari & ad vitæ negotia ineptum fieri, negabit nemo , idearum men-

tis efficaciam , tam vigilantium quam dormientium bene-  
censideraturus. Quod ultimum infirmitatis genus vide-  
re est cum in omnibus illis, qui meditando speculandoque  
ingenii nervos, nimium quantum intendunt, ac cumpri-  
mis memoriam, veluti helluones, inebriant, tum qui ad-  
versis rebus colluctantes, ira, invidia, mœrore, impatientia,  
multum defatigantur. Quibus rebus fit, ut non modo  
ipsius ingenii , verum & sanitatis funestum faciant nau-  
fragium ; ( ubi tamen alia res est maniacorum , quorum  
mens laborans corporis sanitati & vivacitati non adeo  
præjudicare solet.) Specialiter, quod *memoria* lapsum atti-  
net, eum aliquando tantum esse, & propter vere prodigum  
eiusdem usum, & propter ætatem, pervidemus in istis, de  
quibus dicitur : Sie haben sich zu Narren studirt / sie  
sind so kindisch worden / daß sie ihrer eigenen Rede ver-  
gessen : ut profecto ipse despiscere incipiat, qui nesciat,  
frustra huic malo quæri consilium. Si quid est eidem so-  
latii, id omne à quiete & cessatione à nimio istius facul-  
tatis usu expectandum, quo quidem illud, quod in orga-  
nis semel corruptum, reparabile non est, sed dummodo  
per ætatem licet, id tantum efficitur, quo minus damnum  
in peius corruat, sed & vires tot ac variarum idearum  
undis velut immersæ quadantenus refocillentur. A poste-  
riori vero, quatenus memoriae depravatio latet in organo  
h.e. cerebro, videas , an quid consili positum sit in ex-  
pectatione. Qui quidem ex vulnere, capiti inficto, ex  
pernione capitis , contusione quassatoria, & eiusmodi  
graviori violentia, vesani & oblivious facti sunt, spe resti-  
tutionis fere omnimoda excidunt, minimum anni recursu  
eiusdemque magnis mutationibus, lunæ phasibus, tempe-  
state procellosa, diebus canicularibus , animi vchemen-  
tio-

re commotione, morbis ingruentibus præcipue febribus, singuli pro reliqua sua animi humorumque temperie, sensus communis facultate destituuntur. Quibus aliis morbus gravior prægressus in culpam venit, apoplexia, & id genus, epilepsia, febris acuta, pestilentia, qualem in Attica olim fuisse legimus, ii meminerint, morbum esse ex classe eorum Consequentium, quorum nunquam non anceps ac difficilis curatio est. Optima fide rerum medicarum dignus *Forestus* in memorie diminutione, quæ ab apoplexia & in sequente paralysi, feliciter curata, restitit, egregii effectus fuisse prædicat electuarium ex nuc. mosch. rad galang. cardamom. conserv. ros. singulo mane ad iuglandis magnitudinem, pariter & mirobalanum chebulum conditum, quotidie sumtum, præmissis præmitendis, & non omissa forti ac diligentí frictione verticis ac nuchæ, lib. 3. obser. 33.

§. 4. Cæterum & in his & in aliis, si quid tentare animus est, vbi causam manifestiorem magisque materiale existimamus, quales iuxta veteres sunt cerebri iusto plus humida flaccidaque constitutio, aut nimia eiusdem siccitas; ad has iuxta atatum & temperamentorum diversitates primum omnium respiciendum esse iubebant antiquiores. Phlegmaticis, quos maxime dignoscebant ex somno multo, somniis quasi hydrophobicis, muci abundantia, sputo nimio, &c. præter rusticationem, purgationem, abstinentiam a venere, qua corpus mollescere credebatur, somno; diætam parciorem & magis calidam, &c. apprime commendant apophlegmatizantia errhina, quorum inter helleborus niger & succus betæ rubræ palmam tenent. Porro volatilia urinosa, oleosa, aromatica, calida, tum externe per nares attracta, cu-

C 3 i initio quod incepit cuphis

cuphis & unguentis applicata, tum interne sumta. Hæc enim penetrant altius in cerebrum, resolvunt in eo pituitam, excutiunt aquositatem, vapores dissipant, quod flaccidum fuit, restituunt tono & ut cum multis loquamur, roborant memoriam. Quo circa frigida humida cane pejus & angue fugienda, sive sint a regionis vaporosa & lacustri constitutione, sive à levitatem domicilii, sive ab aquilonia tempestate, sive à vieti nimis potulento, frigidoque sive à denudatione pedum, tantum quod excipiuntur pediluvia calida & infessus, utpote quæ in capitibz affectibus omnibus nonnihil utilitatis adferunt. Contra in statu cerebri sicciori sternutatoria aliaque calida sicca, quia mouent, vbi nihil mouendum, malo habitu hic in scenam prodeunt; potius è re existimantur blandiora olea, imprimis amygdalarum dulc' quæ vel supino iacenti instillare vel cum gossypio ingerere mirum in modum adjuvat. Non neglectis insuper emulsionibus ex amygd. dulc. sem. refrig. pineis, decoctis gelatinosis, pediluvii, aliisque ad humectandum, leniendum, sopiendum, relaxandumque necessariis. Ad hæc dicenda quædam requiruntur de *Intellectu*, quem vulgo vocant iudicium, cuius in rebus æstimandis promptitudo, in penetrando acumen à multis beatæ memoriae desideratur. Verum enim vero eiusmodi causæ ad forum medicum vix quodammodo pertinent. Quod ex antedictis de memoriae defectibus restaurandis, porro assidua, sed tamen moderata, intellectus usurpatione, bona diæta, libero aere ac studio tranquillitatis animi corrigi nequit, aliter tentatur frustra. Nam hisce modis nubila disiiciuntur, flaccide partes tensiores fiunt, quo minus nobilissimi huius luminis radii energia sua defraudentur: de altioribus cogitare, nihil aliud est, quam longitudini luce vlnam yelle adiucere,

§. 5. Quod spectat ad actus vitales, quos *commotiones animi* imprimis irascibiles turbant, interciplunt ac debilitant, ea tanto calamitosior vita fortuna est, quanto minus tela eorum prævideri, distingui, evitarique possunt. Subest enim magica quædam tirannis, impetuosis quo-vis fulgere, virulentior peste, eaque ipsa furia sum atro-cissima turba. Tamen & inter hosce fluctus iactam videmus anchoram saluti, dummodo velint eandem amplexari mortales. Primum omnium officium pertinet ad ægrum ipsum, idque situm est in magnitudine vera animi, qua adversus eundo in tempore, strenue ac constanter irruentia tela averti & iam injectorum deleterion, antequam altius infecerit motus & sanguinem, in herba suffocari potest. Primum omnium hoc censetur merito, quin imo alterum & ultimum, & tempore medicationis & in reliqua vita omni sine exceptione necessarium, quod sciant immorigeri & male feriati patientes, cum omne officium medico obtrudunt, & quod sui est, negligenter habent, atque temere neglectum perfricta fronte perneggare non erubescunt. Evidem terror & iræ primus impetus non adeo sunt, ad quæ dirigitur hæc oratio, quoniam minus in potestate hominis deprehenduntur, & non raro ci-tius, quam in oculi isti eundem ad internecionem trucidant. Verum & timor, & mœror, & tristitia & impati-entia & iræ indulgentia sunt, quæ etiamsi animum præcipue imparatum furiosa velocitate adoriantur, ne autem vires corpori exitiales acquirant eundo, primis gradibus possunt ac debent sufflaminari.

§. 6. Alterum demum munus incumbit medico, qui, quod in œconomia corporis humani, per animi turbulento motus concussum est, restaurare & ab interitu defen-dere

dere satagat. Maximum attentus esse debet in disquirendo eo, numquis & quisnam motuum vitalium laborare ceperit; & quod inde vitium humoribus vel solidis fuerit intentatum aut inductum; Ubi opus non est, vt scrupulosius inhæreat quæstioni, quale animi pathema incusandum veniat, siquidem morbi ab ipsis oriundi, non nisi ob rationem temperamenti, ætatis, victus, status, temperatissim manifesto differunt: neque tamen statim ab initio partium humorosarum vitia in examen vocentur, quoniam raro tanta deprehendimus, & si quæ fuerint, rarissime, aut si illa perspecta perspicimus sint, rationem ultimam talis modi morbi minus reddunt, neque certi ac utiles quidpiam indicare valent ad curationem. Cum igitur ægrum animo primum laborantem, de lipothymia, virium detimento, spirituum suffocatione, cordis languore, ventriculi infirmitate, membrorum lassitudine, capitis debilitate conquerentem audimus, nunquam ab eo discedamus, nisi antefacta per quam diligenti inquisitione in *haemorrhagiæ* ordinariarum successum. Has enim aut suppressas, idque ut plurimum, aut ordine turbatas, citius iusto acceleratas, aut plane nimias, multorum affectuum, tum ab his, tum ab aliis causis occasionalibus excitorum, causas fundamentales esse, constat. Deinde hæc sive contingerint, sive minus, probe observari debet status *plethoricus*, idque tanto magis in syncopali aut apoplectico decubitu, inque venæ sectioni asuetis. Ad hæc de bile tecum agites, qua per iram vel stomachus inundatus, vel sanguis infectus, l. motus intestinorum tortuosi ac præcipites, usque ad animi deliquium facti sæpe sunt. Tandem nec *alvus* negligenda venit, quæ obstruta, plenaque flatibus malum tanto gravius adaugetur, quanto minus sub his malis ad eum respicitur. Quibus per-

perspectis nec dubium nec difficile erit viro gravi, quomo<sup>d</sup> roboran<sup>d</sup>e sint partes debiles. Multis in morbis summa debilitatis causa est malignitas, quæ tamen rarius vera, & ex maligno aere nata, datur: communius autem in morbis, cum maligna virium debilitate coniunctis, a desponsatione omisiva magis quam amissiva perditione dependet per aliquam patheticam desperationem, aut desperabundam saltim tergiversationem suscipiendorum motuum. Sola plethora ubi in morbis vires deiiciat citra malignitatem materialem, tanto periculo non esse solet, per V. S. expedienda; post eam deinde merito progredimur ad sanguinis correctionem, nempe, si quæ sunt, spissa attenuando, pituitosa resolvendo, ebullientia temperando, acria leniendo & quod palmarium est, heterogenea fecernendo excernendoque; his expeditis vires feliciter redeunt, neglectis, minime. Neque enim quicquam hic possumt cum speciebus suis l<sup>a</sup>tificantibus Galenici, cum lapide Buttleri Helmontiani, nihil cum tintura corallorum Paracelsist<sup>x</sup>, nihil cum auro potabili Spagyrici, quorum omnium nihil minus quam roborandi virtus certo constat, aut si sit aliqua, in hoc morborum censu non primum locum promerentur. *Lapidem Buttleri*, quem archeo hominis, nescio, quam angelicam virtutem, vitae quem herculeum vigorem conferre somniant, ab ipso Helmontio juniore paratum & alicui amicorum suorum communicatum possideo, cuius vero neque in hoc neque in aliis admiratione digni effectus eminent. *Aurum* aliaque, quorum pretium a raritate & opinione est, l<sup>a</sup>tificant pauperes & avaros, physice vero quidpiam conferre ad restorationem sanitatis, vel ignorantium, vel speculatorum vel fraudulentorum eo usque putamus com-

D

men-

menta, donec sp̄ectata magis atque constanti experientia aliud edocebimus.

§. 7. Venimus nunc ad *motum corporis*, cuius supra in causa roborandi mentionem injecimus. Quam egregios usus pr̄stet, littteratis, aulicis, effeminatis, otiofis perquam exosa istius commendatio, rustici & similes, reliquis recte se habentibus, athletico suo corporis habitu ad invidiam demonstrant. Hoc solummodo teneamus, ut injungatur à teneris, accommodus sit ætati, vieti, morbo & habitui, moderatus in principio, repetitus per vices, nec fiat à prandio, serveturque quantum potest, per totam vitam. Atque hoc ultimum momentum, h.e. ejus continuatio eo pluris haberi debet, quo minoris aliquibus esse videtur. Sunt rustici, operarii, rei familiari operam dantes, milites, peregrinantes, & ejusmodi homines, qui vel sponte vel suau suorum, vel ex perverse sublimiori de viribus sene- Etæ non amplius profundendis medici consilio, muneri, labori, sudori, exercitationi vale dicunt, quod reliquum vitæ est, in quiete placide transacturi. Ubi vero delicias & mollitiem primis labiis degustarunt, statim cum præsentissimo magisque ingravescente virium detrimento & languore perfentiscent, quam male rebus suis sit consultum.

§. 8. Inprimis pertinent hæc de motu corporis dicta ad hypochondriacos hystericasque. Non repeatam divini Senis vere divinum consilium & ab incomparabilibus Stahliis, Sydenhamiis Bagliviisque egregie commendatum, de navigatione, rusticatione, equitatione vectura, & similibus, quibus viscera & confines ductus, in primis vena portæ leniter succussari, tono restitui, atque

que pededentim ac opportune à viscidatibus liberari interest. Sed hoc prætereundum minus puto, quod jam memoratus eximus Italus de motitando hectico ultra virium sufficientiam expertus memorat. *Neque obstat*, ait, *quod æger sit nimium debilis, viribus adeo prostratis ut ne quidem in lecto moveri valeat, si quidem in tali casu exercitium inchoandum primo erit rheda ad pauca stadia; deinde vero ad plura milliaria equitazione absolvendum.* *Prax. med. libr. 1. c. 13.* Podagrici, qui minime debilium numero se eximi patiuntur, utinam intelligerent, quam perniciosum sit, plumis atque sellæ adeo inhærere; certe non amplius tot tamque diris exacerbationibus subjecti, neque adeo nodosi ac decrepoti, fierent, atque in innumeris exemplis pervidemus: quoniam motu non solum languis superabundans, qualem in podagricis maxime observamus, in serum resolutus per lenem transpirationem atque sudorem absumitur, sed & jam immensipastica vehementia præpeditur. Sed paullo exercitium vehementius sit in his, quam in hecticis; vecturæ non sufficiunt, quin nocent propemodum, plus efficit equitatio, quoniam hac & pedibus labor incumbit; cum vero sedes mali præcipue figatur in pedibus, nihil magis e re esse comperimus, quam indefesso & frequenter eundo pedes exercere. Majorem hinc podagræ obnoxiorum numerum haud videmus, quam inter eos, qui versantur in locis voluptuosis, otio, aulis & qui rheda maxime portatili quasi machinæ inanimatæ promoveri se patiuntur. Novi quendam nobilem, qui paroxysmū appropinquantem animadvertis, pedibus versus scabellum lecti quantum potest, fortiter innixus, non obstantibus atrocissimis doloribus, hac summa intensione per horam

D 2

vel

vel dimidium veluti Diogenes immotus atque constans permanet, quo renisu, uti per jocum & vere loquitur, inimicum suum nunquam non debellare se asleverat. Paralyticis censu debilium non immerito comprehensis praecēpta eadem pariter tradimus, quamvis utique negandum non sit, de iis plerumque actum esse, prēprimis malo per diurnitatem temporis obfirmato. Nihilominus membrorum crebra agitatio, frictio, ventilatio, succussatio sunt non pœnitendi usus, maxime concurrente firme magnoque animo patientis. Quanta enim vis genio hominis sit à natura data, in corporis utilitatem mire redundans, & patet ex morborum genere omni, & exemplo istius, quod Halenses memoriaz prodiderunt, qui cum diu non ambulare potuisset, oborto subito in vicinia incendio, perterritus, à domesticis derelictum se videns, animum magnū sibi sumens, e lecto nonsolum prosilire, sed & feličiter aufugere & ab eo tempore pedibus bene uti potuit.

§. 9. Exquisitiora roborantium tere sunt *Nutrientia*, generatim complectentia omnes salubres cibos & potus, qui conservandæ vitæ efficiendæque nutritioni inserviunt; inspecie vero evpepta, eaque omnia, quæ humectant, chyli, sanguinis, seminis & lactis uberiorem proventum promte reddunt; de animalibus, gelatinoso pinguia, ut lac & jura carnium; de vegetabilibus, lactescencia, ut lemina & γλαζε & radices nonnullæ, quales sunt nobilissima bardana & althæa. De illis hoc loco non accuti obiter in memoriam revocamus nonnulla Hippocratis: *Quæ tongo tempore extenuata sunt corpora, sensim reficere oportet; quæ vero brevi, celeriter aph. 7 sect. II. Si à morbo cibum capiens quispiam vires non recipiat, copiosiore alimen-*  
to *corpus onerari indicat: Si vero cibum non capienti idem eveniat*

niat, evacuatione indigere sciendum est. 3. *II. Impura corpora quo magis nutritur, eo magis laeseris 10. II.* Facilius est, potu satiari, quam cibo 11. *II. Vixtus tenuis in morbis longis periculosus.* 4. *I. Morbo peracuto & in vigore morbi, tenuissimo uti vixtu necesse.* 8. *I. In paroxysmis cibum subtrahē 11. I.* Quod specialiter evpepta attinet, præcipue emulsiones, hordeaca, lactea, juraque carnium, omnibus iis paranda veniunt, qui atrophia, phthisi, heretica, marasmo, hysteria, hypochondriaco malo, & acutis laborant & extenuantur. Namque in his nonsolum stomacho prospiciamus, qui & propter consensum & propter fermentum obtusum cibos crudiores subigere nequit; sed & intestinis tenuioribus, quæ ob torum amissum & minorum tubulorum obstructionem male digerunt & separant; neque minus infimo ventri, qui à non satis maceratorum crudiorum recrementorum farragine oppilatur atque hinc vermium flatuumque generationi subjacet. At vero jam laudata assumendorum genera hoc sibi vere vendicant, ut à debili stomacho sine multa opera coqui & maxime extenuatis intestinis tenuioribus digeri possint, verum etiam, cum potior eorum pars transeat in bonum chylum, majora intestina, tono, destituta multa excrenendorum colluvie non onerent, quin, teste sene nostro, eorum, quæ confertim & celeriter alunt, celeres etiam fiant excretiones. 18. *II. De lactis usu qui uti comparatus sit oportet, breviter à Baglirio cap. XI. libr. II. Prax. med. fusius à Foresto in observ. de phthisi & heretica definitus legi meretur restant confutandi isti, qui vel pretiosissimis perlatis pluris aestimandum hoc roborans non tam negligunt, quam nunc propter ejus viscosam*

D 3

pri-

primis viis se adhærentem, quin ad sanguinem trans-euntem consistentiam; nunc propter inde enatum aco-rem; nunc propter caseositatem & hinc metuendum cal-culum; nunc propter bilis augmentum; nunc propter obstrunctiones minorum tubularū & alvi obftructionem impetuose nimis condemnare audent. Quod facerem sa-tis per inductionem multorum à multis retro annis exemplorum, ubi phthisici & heētici, vix halitum ducentes, lacte nutricis l. asinæ veluti infantes ad vitam conservati mirifice sunt; tum per infinitas instantias, quibus hac me-re speculativa argumentandi ratione, non plura alia usu satis confirmata, sed ipsa tota pharmacopolia destrueren-tur. Sed prostat inconclusum argumentum: Quod in tantibus nocumento non est, illud, siquidem cetera se pa-ria habent omnia, ætate proiectis nocere verosimile non habetur.

§. 10. Hisce proxime assitantur *Aphrodisiaca*, quo-rum alia nutritunt, alia stimulant; eaque *nutrientia* me-morata deliciora, quæ nobilem sanguinem semenque conficiunt, primum jure locum hic occupant: neque adeo multum impedit, quo minus reliqua stimulantia pleraque ab istorum censu penitus rejicere mihi insumam, *Si-mulantium* autem genera sunt eorum, quæ non modo sanguinis motum progressivum auctiorem reddunt e. g. *volatilia*, *vinoſa*, *aromatica*, *odorata* &c. sed etiam specia-tim versus genitalia majori cum impetu tendunt, vala-que spermatica turgidiora reddunt, quo pertinent *diureti-ca*, in primis ex classe salinorum. Minimum stimulan-tia sine nutrientibus usurpare non tam irritum est, ac ve-luti cursori viribus exhausto calcar addere; quam exitio-

sum, cum per ea sanguini violenter extorquetur id, quo ipse ad sustentandos vires atque fovendum calorem minus carere potest. Cautius agetur inter istos, qui causas impotentiae virilis recte cognoscere & distinguere student. Forssitan apparebit membra brevitas, parvitas, cui frustra petunt remedium; aut defectus testiculorum l. alterutrius; aut ventris prominens obesitas; & ejusmodi partium incurabile vitium: Porro, frigida senectus, impubertas, morbus, gonorrhœa inveterata, quæ singula Veterem nullatenus excitari patientur. Quod si Veneris immoderatus inculatur usus, nihil adeo opus est, quam *τὸς ἐπέχειν*, ne flaccida nimis & tono vix restituenda redantur genitalia, sanguis nobilissimo succo privetur sed ut amissus in tempore restituatur. Ceterum de hoc & impubertate majorum nostrorum imitandum propono exemplum, de quibus, *Tacitus, sera, ait, juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur, viri singulis uxoribus contenti sunt, paucissima in tam numerosa gente adulteria.* Illi virium defectui, qui partim à victu nimis parco, quali gaudent pauperes, avari ac stoici, partim à multis lucubrationibus aut corporis exercitio vehementiori est, quomodo medendum sit, per se jam factisclare patet. Eo magis autem obscurum est, quid agendum contra *fascinum*, cuius ex actis publicis fide memoratique dignum prostat exemplum. Robusti animi ac corporis bene compositi nobilis, sponsæ sue, etate atque statura egregie florida, quod mariti est, nunquam præstare poterat, quavis intentione cœundi, virgula manente semper flaccida & ad ultum inepta. Misera femina primum conquerebatur de marito apud amicos, denique cum ad pectus veluti eunuchi frustra diu suspirasset Cupidinem

dinem, apud judices synedrii, quoniam non in ipsius potentia sed in voluntate vitium latere arbitrabatur. Jam adhibitis incassum omnibus, quæ ob suspectum fascinum experiri interest, accusatus adigebatur eo, ut jurejurando pronuntiaret, quantum in sua voluntate esset, se non deficere, neque caussam rei aliam posse cognoscere. Tunc matrimonii vinculum inter eos, per litteras, quas divor-tii vocant, dissolutum est. In viro mentem fuisse recti conscientiam, neque ipsum à nativitate impotentem, primum inter amicos notum fiebat, qui eum cum aliis ex voto congregdi, atque sponsam suam impense amare satis certo sciebant; postmodum plane erat in propatulo, cum aliam sumeret in matrimonium & per singulos fere annos luci sistebat viva testimonia. Quamvis hic perteneras religiosorum aures libere dicere non liceat, proficia tamen & necessaria in tollendis hisce malis non nisi magica dari, coram mente sanioribus pronuntiare haud quaquam pertimescimus. Quorum aliqua consistunt in sola magica vi imaginationis & medentis & patientis, aliqua cum eadem conjunctam habent ægro propinandum specificum remedium, cuiusmodi succum *betulae* vel sponte vel ex ea sauciata exstillantem in secretis merito habemus.

§. II. Nunc aphrodisiacorum specifica collecturi primum omnium neque ex multis unum laudamus *sal* quoddam *essentiale microcosmi*, quo ceu vero vite balsamo, archeo hominis nihil hic gratius sæpe deprehensum cift. Pariter & ob raritatem & ob efficaciam pretiolâ *ambra* in templo Veneris fragantissimi odoris est, cuius essentiam cum acid. vitriol. mixtam magnum Germaniæ Principem ad vitam longam adhibere compertum habimus.

bemus. *Boletus cervinus*, quem a forte delapso cervi semine in locis graminosis cresci & à nudis pedibus indentibus quæri, Hungari perhibent; pariter & *stincus marinus*, nobile lacertarum genus, laudibus suis omnino non carere debent, idque tanto minus, quo magis inter omnes constat, animantium genera ad libidinem superlative prona, maxime illorum partes ejusmodi, quæ semen vel efficiunt vel colligunt. Veneri optimas victimas præbere. Hac ratione plura inveniri posse existimo, atque *perdrices, phasiani, castoreum ambraq;* sunt; insuper intelligi, quare prudentissimus legislator Moles judeis utpote voluptate maxime effrenibus carnium multarum pinguium præcipue esu interdicebat; similiter cur aliqui, venere luxuriosiores aliis videantur. Ex vegetabilium regno in notitiam nostrum pervenit *Cacaotructus Indorum, oryzæ Turcarum, Ninsing Chinensium, satyron Germanorū,* & pervenient in usum plura, quoniam iis, quas nostra terra fert, inexplicabiles deliciis, terra marique conquimus voluptates. Ad hæc referuntur ab Helmontio ju niore *radices cicerum rubrorum germ.* erdnüsse, existimante, eas esse Dudaim, quæ filius Rachelis ex arvis forte triticorum collegérat. Quicquid sit de interpretatione Scripturæ S. quæ in ejusmodi rebus ut plurimum inter conjecturas posita est, istarum vero radicum virtus hoc in capite in dubium vocari nequit. Denique non incongruum foret, secretiora quædam in lucem proferre, in primis, quæ *Soranus* quidam antiquissimus medicus in templo Æsculapii inventa, C. Antonio, Conf. propter insatiablem Cleopatræ ardorem egregio cum effectu commendauit, quorum inter alia describit *unguentum*, prout in literis Sorani, quibus literæ Antonii & Cleopatræ annexuntur, olim deperditis, post in Goldasti bibliotheca

theca repertis legi non indignum est: At vero quoniam castorum & Pharisæorum aures offendit amplius periculum est, obliuione hæc aliave sepelire cogimur.

§. 13. De *Camphora*, potu *Coffee*, *ruta* & *absinthio* tantum quædam honeste licebit adiicere. *Camphoram* in hunc usque diem multi falso persuasum habuerunt, natura frigidæ mixtionis esse, atque ita homines reddere steriles, frigidos & infecundos. Illi vero plane hospites sint oportet in chymia sacris, qui summopore volatilia, quibus post phosphorum, salia vrinosa & camphoram non dantur magis talia, quanta quanta sunt, ex partibus merè igneis atque calidis constare ignorent. Præterea quicquid sit de rationibus materiarum medicarum physicis & chymicis, de quibus in utramque partem disputationis utique non raro argumentum est: Nolim tamen iurare in fidem istius experimenti, cum generosus quidam male credulæ puellæ camphoram sub coitu ore detinendam ad impediendum conceptum commendaret. Quod alii de parili efficacia potus *Coffee* statuminant, pariter falsum esse, non uno documento liquido satis constat. Noui inter alios honestum virum, qui ne ullum quidem diem præterlabi patitur, quin Turcarum illud velut antaphrodisiacum largiter hauriat, & hoc non obstante, singulis annis egregium ex coniuge puerum in amplexus recipit. Turcarum illa imperatrix, quæ maritum nimio fabarum tostarum visu impotentem factum esse credens, stabuli magistro easdem ad castrandos equos narratur laudasse, non aliter rem tetigit, atque illi, qui *absynthium* vel *rutam* ad diminuendum semen adhibent. Licet enim dari herbas non negem, & seminis augmento & stimulo Veneris contra-

trarias, siquidem folia *salicis* in furore vterino compescendo specifici quid adferunt; quin reservamus nobis quæstionem, annon amara, quod videntur capiti non benefacere (inter cerebrum autem & pudenda est consensus) hisce pariter de virtute sua quid detrahant: Tamen in affirmativam eorum sententiam iam abituro exempla obstarre mihi rursus video.

§. 14. Jam descendimus ad *Tonica*, motui sanguinis progressivo infervientia, vasa, fibras, & glandulas vel dilatatas vel ruptas vel læsas, intendendo, contrahendo consolidandoque. Cuius generis habentur *austera*, *acerba*, *acida*, vt *citrum*, *acetosa*, *cyclonia*, *bistorta*, *acetum*, *tartarus*, *bolus*, *vitriolum*, *Saturnus*, & horum omnium antesignanus *Mars*. Speciatim vt nonnulla proferamus, in *ventriculi atonia* tenerioribus fructus *herberum*, *acetositas citri*, *Mixtura S. sine camphora*, robustioribus autem *acetum* vsui sunt. Ad *faucium laxiore* rem habitum contrahendum novimus gargarismata ex *tormentilla*, *equiseto*, &c. In *Tussi*, fauibus ita constitutis perquam familiari *bolus armena* masticanda est. Si quid in *pulmonibus* hac ratione agendum venit v. g. in censolidando a vomica vulnere, *traumatica* caute adhibita locum inveniunt. In *hæmoptysia* vero præmissis præmitendis, ad *martialia*, imprimis *crocum Martis Antim. Ludovici* pergitur. In *vomitu cruento* præcipue menstruo, millefolium suum quoque locum obtinet. *Diarrhoeæ* & *Dysenterie* obicem ponunt, *cycloniata*, *terra catechini*, & quod sæpe audiuimus, *Ræchas citr.* qua podex fortiter & sæpe abstergatur. *Gonorrhœæ* os sepiæ adversum ire vallet. In vteri debilitate ad fistendas hæmorrhagias, tum ad inhibendum *abortum*, coniunctis *nitrofis* & *cinnabarinis*, præstantiora reliquis remedia sunt *acini uvar. Hispan.*

cum testis ovor. incubator. & massa pill. de cynogl. Contra febres famosas illam corticem à Peruvianis accersere non modo non culpandum, sed suadendum existimamus, vbi, in primis viis hærente cacoethe legitime educta, & si in sanguine latet anguis, eodem vel diminuto vel purgato, continuatus motus febrilis non nisi ab asuetudine provenit. Aut si abhorrent practicantes ab illius vsu, minimum examinent egregie aromaticam corticem chacerille; ac in pertinacia febrium sibi imitandum proponant non satis laudandum Italum, qui tertiana duplice laboranti, iniecto mane clystere evacuante post elapsam semihoram clysterem ex aqua hord. & cort. Peruv. dr. I. repetito exhibere iussit. *Prax. med. lib. I. c. 13.* Hypochondriacis bene convenit limatura mart. eiusque genuina tintura. Agrypnia defessis nihil familiarius est, quam porrigitere opiate, papaveracea, crocata, &c. at quibus saepe periculis, in inquirendis mörborum causis perspicaciores, & in observandis eventibus diligentiores intelligunt. Pilulas VVildegansi, si quibus opus est, laudo ex omnibus sui generis, in quibus opii vis obstupefaciens aceto fracta reliquarum ingredientium virtutes nequit impedire. Quis nescit vulneribus violenter infictis, & lethalibus consolidandis præstantissimum balsamum D. D. Dippeti, constans herbis travmaticis selectioribus, menstruo quodam acido digestis: aut vitrioli, sole calcinati virtutem magicam, h. e. pulverem sympathet. Dn. Digby in iisdem. Porro struma requirunt acidum vitrioli, Hernie berniam; Procidentia v. g. vteri, pulverem gallarum. Hoc loco tantum cautio nunquam satis adhibenda ne negligatur, est, quod ad ravim vsque admonemus. Primum nunquam adstringentibus vti convenit, nisi antea excernen-  
da

da ordine, debito loco & quantitate satis excreta fuerint; deinde ut fortiora h. e. vitriolica provida manu adhibeantur: Aut certe morbi alias benignam conditionem in deteriorius ruentem, & irreparabilem damus. Quod alias non immerito dicitur, naturam esse posse sine medico, non sine medicina; illud hoc in capite fere inversum vero verius est: naturam magis esse posse sine medicina quam sine medico. Nimirum adstringentibus rarius & parcus opus habemus, quam intra musæi parietes negotiosi satis, sed extra naturæ & chymiaæ pomœria versantes formulæ sibi imaginantur, aut si quibus opus est, ea sine medico, h. e. industrio & prudenti viro in usum tutotrahi nequeunt.

§. 15. Ad classem *tonicorum* non minori iure referuntur *Balsamica*, *minus volatilia*, quæ fibras partium relaxatas, subtili terra sua blande contrahunt, vel constrictas nimium aut viscositate infarctas deliniendo aut resolvendo expedient, adeoque utroque modo tonum reddunt. Eiusmodi balsamica virtute maxime pollent *gummatæ* & *gummi resinæ*, *myrrha*, *olibanum*, *mastix*, *asa dulcis*, *sandaraca*, *succinum*; imo liquida illa, ut *opobalsamum*, *balsamum Peruv.* de *Tolu*, *terebinthina*. *Opobalsami* peculiaris virtus tonica in cute inter secreta habetur mulieribus generosis quod & ad præcavendas senectutis rugas, & ad easdem delendas singulari chirurges singularis mensibus non sine effectu facie applicare solent. *Gummi Arab.* aqua cocta solutum, pueris lientericis optimo sæpe successu propino. In *gonorrhœa* balsamicorum usus sat præstans est: abstrahendo taltim à calidioribus in suspitione calculi, ubi simplex *terebinthina* cum pulv. rad. liquit, interpositis emulsionibus ex amygd. d. & se-

min. frigid. omnem operam nauabit. Nulla enim consolidatio fieri potest, sine prægressâ legitima mundificatiōne. Quem effectum exferunt etiam balsamica externe in mundicandis vulneribus ulceribusque, quorum hic selectiora sunt *essentiae myrræ* & *succini*, mixtæ, sine alcali paratæ ; hæc magis partibus exsanguibus , illa magis carnosis conveniens. Composui insuper ex balsamis & gummi resinis *massis* aliquam pilularum, cuius tonicæ efficaciam sæpius me certiore factum esse sine gloriæ studio assevero. Alvum enim obstipatam blande aperit, etiam in puerperis & acuta laborantibus, fluxum album muliebrem primo promovet, continuato vero usq[ue] imminuit, alacrioresque reddit enervatas, hæmorrhagias uteri paucis horis vnica dosis fistere solet. Non raro pariter observatum à me est, quod nonnulli à medicamento purganti fortiore, vix duas sedes experiundi, ab ordinaria huius massæ pilularis dosi quatuor vel quinque vicibus alvum dejiciant. Pertinet huc querela *Sylvi de difficulter purgandis Hypochondriacis*, quorum acidum primarum viarum spiculas purgantium velut infringens intentam operationem communiter impedit : balsamica vero aut gummi resinæ illis exhibitæ acidum hostile velut obtundendo in tertium quoddam cum eodem abeuntes multo faciliorem causantur evacuationem.

§. 16. Cæterum quod roboranum virtutem ad prolongandam vitam attinet, committuntur hic (vt in pleroque observationum negotio fieri aſſolet) sæpius fallaciæ non cauſæ vt cauſæ. multas illas ætates quas *Paracelsus Elixir suum Proprietatis usurpantibus* promittit, inter optanda tamdiu habemus, quamdiu mēſtrui illius universalis Alcahestini seu circulati maioris (quo cum trium illarum specierum extractionem & reclusio-

clusionem institvere iubet ) ignari sumus. Nec maiorem fidem *Helmontiano liquori lacteo primigenio ex arbore Cedri*, mediante iam memorato liquore alcahestino producto, concedere possumus, ex cuius quotidiano vif vitam perquam longam pollicetur, dum speculationis potius fœtum quam practicam observationem redolet. Recenset vero, virum valde senem se vidisse, qui annorum prolongationem se obtinuisse ex quotidie sumtis aliquot guttis olei sulph. per camp. constanter asseruit: cuius ratio, si vera fabula est, videtur, quod liquor ille tam volatili sulphurea (qua sulphur acensum vinum imbuere ac conservare omnes scimus) tum salina sua acida qualitate, humores à putredine conservaret. Nostra vero mens paucis reddit eo, quod cum vita consistat in motu, quo ipso putredo, ad quam nostra machina valde proclivis est, mediante continua eliminatione & remotione particularum, dictæ putredini faventium, secernantur & excernantur: Ratione vere conuenit medicamentum protongandæ vitæ inferviens omnino confici posse ex balsamicis temperatis, gratis, scite iunctis. Illa enim proscribenda heterogenea resolvunt & ad excretionem velut disponunt ac incitant: hæc vero grato sensu motus vitales revocant refocillantque, ita, ut vigente sic legitimo sanguinis circulo, omnes reliqui etiam inde dependentes motus pro avertenda putredine & morte, viore suo gaudeant.

§. 17. Pauca tandem de *evacuantibus* attingere non abs re alienum esse puto. Quamvis enim ea ad robورantia referre, aut tonforum more purgantia indiscriminatim commendare, animus haud sit: Tamen in plerisque debilitatibus locum inveniunt, quin, quod mundus vult captari suis præjudiciis, boni medici vitium non est,

est, recte confecto medicamento propter opinionem & gratiam titulum aliunde mutuare: commiseratione autem digni ægri illi sunt, qui sensu superabundantes, temere sibi arrogata ratiocinandi libertate, metu debilitationis ulterioris, evacuantia reformidant, atque medicum, in primis trepidum, ignavum & ignorantem cogunt præposteram inire methodum. Igitur quod de rejiciendis ex corpore superfluis, peregrinis & recrementis jam multoties propositum est, illud non dubitamus ad nauseam repetere. Namque est cum plerisque debilitatum generibus comparatum, uti cum illis, qui sarcina onerati virium usu ad ambulandum minus gaudent. Quid vero juvat, porrigere ipsis fulcrum, neque molem humeris adimere? quam inhumanum est, fustibus eosdem propellere: Profecto rationis expers videtur mihi illud medicorum genus, qui, remanentibus excernendis ordinariis, naturæ, oneris remotionem anhelantis, nares inungunt balsamis, falibus volatilibus, aliaque sexcenta obtrudunt analeptica; quin virgis castigandi veniunt illi, qui enervata in eam, stimulantibus, abhrodisiacis, &c. veluti calcaribus concitant, cruentant, prosternunt. Circumspetiores nihil prius habere consuecant, quam ut inquirant in hæmorrhagiæ successum, sanguinis missiones voluntarias & violentas, fluxus alias chronicos & periodicos, ulcerum manantium & fonticulorum progressum, transpirationem cutis, sudorem & asperitatem eiusdem, spitationem, mucum, vermes, flatus, alvi statum, peregrina corpori inficta vel deglutta, vrinæ progressum aliaque, atque ita naturæ in hisce proscribendis, obtinendis, conservandis, moderandis continuandisq; occupatae, succurrendo, sui copotem reddant roboris atque vigoris.

F I N I S.


01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3







20.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**ROBORANTI-**  
**BUS,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGI-  
CO, DVCATVS MAGDEB. GYBERNATORE, & reliqua,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
*Gratioso Facultatis Medicea consensu,*  
PRO - PRÆSIDE  
**DN. HENRICO HENRICI**  
Med. Doct. & Prof. Publ.  
*DN. PATRONO, DOCTORE AC PROMOTORE SUO*  
*omni obseruationia & honoris cultu etatem colendo*  
PRO GRADU DOCTORALI  
Summisque in arte medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis  
More Majorum solenni obtinendis,  
d. 10. Octobr. An. MDCC XI. horis ante & pomeridianis  
*IN AUDITORIO MAJORI*  
publicæ Eruditorum disquisitioni exponet  
**JOH. FRIDERICUS HENKEL,**  
Pract. Dresd.

Halle, TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP.

